



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Matthaei Tympii Aureum Specvlvm Principvm,
Consiliariorvm Ivdicvm, Consvlvm, Senatorvm, Et Aliorvm
Magistratvum Cvm Ecclesiasticorum tum Politicorum
omnium**

Tympe, Matthäus

Coloniae Agrippinae, 1617

2 Adulatores à se & Rep. arcere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52641)

pudicitijs, vsuris, alijsque vitijs ex Rep. Christiane extirpandis satis fusè egi in libello Germanico, quem Renouatum mundum nominavi.

SIGNVM II.

Adulatoria fuga. ADVLTORES TANQVAM VIRTVTIS inimicos procul à se pellere, & à Rep. arcere; seu, mellit as ipsorum voces in sinum & mentem non recipere.

Adulator specie est amicus, animo hostis. **Q**uemadmodum fulmen ossa sæpè diffinit, illaesa cute: ita assentatio, Magistratum præcordia vulnerat sub specie amicitia. Habet enim dulcissimam vocem Sirenis, at voracissimum ventrem Charybdis; blanda est, & tamen aspera; dulcis, & tamen amara; candida, & tamen nigra. Quid multis? facie humana est, & tamen vipera. Hinc plato in Phædro: *Adulator, ait, est bestia omni humano generi pestilens, similis venefico, imo impuro damoni, qui animos incantatos funestis epulis fouet, & sordibus noxijs inquinat.*

blasphemia. Sic assentatio perditorum iuuenum Roboam Regem fecit tyrannum (3. Reg. 12.) Agrippa senior cum Cæsare in splendido amictu & sublimi sella ad populum verba faceret, ei ab adulatoribus tanquam Deo cuidam acclamatum est: quas voces cum ille libenter admisisset, sibi que de tali honore in animo blandiretur, repente ab angelo percussus, & putrescente carne ac visceribus morbo pediculari consumptus est. Act. 11. Ioseph. 19. antiq. Iud. c. 7.

Antisthenes dicebat, melius esse, incidere in
 coruos quàm in adultores, quia hi viuentibus,
 illi mortuis oculos eruunt (Stob. ser. 12.) Et
 alius dicebat: Corui cadaueribus euellunt oculos;
 adultores verò excæcant Principes, quos
 maximè omnium conueniebat esse oculatos.
 Perdiderunt hi Alexandrum Magnum; (Sabell.
 lib. 6. Ennead. 4.) perdiderunt dictum Agrippam,
 Iudæorum Regem: perdiderunt Iulium Cæsarem
 (Suet.) perdiderunt Antoninum Caracallam, &
 plures alios. (Xiphilin.) Quemadmodum enim
 pardus odoris gratia allectus feras inuadit atque
 occidit: ita adultores blandiloquentiâ irretitos
 fallunt ac perdunt (Plin. libr. 18. cap. 17.)
 Hi sub aureo folio lethale venenum fundunt: hi
 vulpinis & caninis blandimentis, seu insidiosis
 sophismatis & phaleratis verbis populum de-
 ceipiunt. Nam sicut quæ mentiuntur aurum &
 adulterina sunt, fulgorem duntaxat & nitorem
 auri imitantur, ita adultores suauitatem quidem
 ac venustatem amici exprimunt, semper hilares
 se præbent, nunquam resistunt, semper amicorum
 personam gerunt, ministerijs vltro sese offerunt,
 & conantur summo studio officiosi videri, nec
 non faciles sunt ad representandos similitudine
 eos, quos adoriuntur, tum in negotijs, tum in mo-
 ribus: & tamen insensibilissimi sunt hostes & perse-
 cutores. Plut. libr. de discrimine adul. & amici.
 Hinc S. Hieron. ad Celantiâ ep. 14. de adulatorû
 assentationibus ait: *Nihil est quod tam facile corrup-
 pat mentes hominum, nihil quod tam dulci ac molli
 vulnere animum ferat.* S. August. in Psalm. 69.
*Duo sunt genera persecutorum, vituperantium
 & laudantium; sed plus persequitur lingua*

*Adulator
 ab amico
 vero vt
 dignoscen-
 dus.*

adulatoris, quàm manus persequentis. Et Greg. Mag. 31. Mor. c. 20. confert adulatorem locuste fructus deuoranti, & api, quæ mel præfert ore, sed aculeo pungit; & scorpioni, qui pungendo necat.

Q. Curtius li. 8. hist. scribit adulationē esse perpetuum Regum malum, quo sæpius eorum opes quàm ab hostibus euertantur. Diogenes adulationem mellitum laqueum appellat. Plut. dicto loco adulatorem patriæ & virtutis inimicum vocat. Epictetus in Enchiridio ait: *Vt corui mortuorum oculos, sic adulatores viuorum animos & mentes perdunt & excacant.* Demosthenes orat. 3. contra Phil. ait: *Assentari & placida loqui in consilio Reip. perniciem maximam ei adferre solet.* Hinc Crates Thebanus aiebat eos principes, qui cum assentatoribus viuerent, non aliter desertos esse, quàm sunt vituli inter lupos. (Laert. lib. 6.) Philo Iudæus li. de migrat. Abrahæ, de ipsis ait: *Tam noctu quàm interdum permulcent aures suis Regibus, nec tantum applaudunt dictis eorum singulis, sed & prolixis eos ornant laudibus, quos tamen execrantur taciti, quantumuis fausta ominando propalam.*

Ipsè Deus per Syr. c. 2. ait: *Va duplici corde, labijs scelestis, manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus vijs.* At eiusmodi homines sunt adulatores, se genio & naturæ Principis aptare studentes. Nam in malitia sua latiscant Regem, &c. (Ose. 7.) & sicut scorpiones ore blandiuntur, sed cauda pungunt: sic isti loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum, (Pl. 27.) vno ore flare & sorbere volunt.

Greg. sunt, & vna manu ferunt lapidem, altera panem
 ostentant: in ore mel, in cauda aculeum vt apes
 gestant. Vt vmbra quicquid agas respondet & ad-
 est: sic isti quocunq; te verteris circumagunt
 se, & sui semper dissimiles pro re nata sese ad-
 aptant. Vt heliotropium cum sole circumagitur,
 & quocunq; se vertit sol, eodem flectit cacu-
 men, noctu etiam tanquam desiderio solis con-
 trahit florem: sic isti gnationes sese in omnibus
 rebus accommodant ad voluntatem Regum, nec
 quicquam nisi ad gratiam loquuntur, & quocum-
 que Regum inclinatur animus, eodem ipsorum quo-
 que mentes inclinant ac propendent.

1. Hac de causa *Alexander Magnus* librum *Ari-
 stoboli* historici de rebus *Alexandri* adulatorium
 projecit in fluium *Hydaspen*, addens authorem
 digniorem qui proijceretur.

2. *Agessilaus Laced.* Rex dicebat adultores
 non secus esse aspernandos & insectandos, quam
 propria vitæ insidiatores. Idem dicebat, sibi iu-
 cundum esse laudari ab his, qui non vereren-
 tur & vituperare si quid displicuisset. Tales enim
 si quid laudant iudicio laudant, non metu aut
 adulatione. *Plut.*

3. *Antiochus Rex Asiae* adeo circumseptus fuit
 adulatoribus, vt veritatem nunquam perceperit,
 nisi a quodam viro rusticano, apud quem diuer-
 sabatur. Nam cum in venatu quodam (inter ve-
 nandum) feram insequeretur, aberrans ab amicis
 ac famulis, in casam pauperum quorundam, qui-
 bus ignotus erat, mutata veste introijt, atque in-
 ter cenam iniecta mentione Regis audiuit, tum
 quod plerasque functiones mandaret amicis im-
 probis, & ad eorum facta conuieret; tum quod

immodico venandi studio frequenter necessaria negligeret; seu, Regem quidem esse virum bonum, sed pravis consiliarijs stipatum, qui que seria regni negotia ob insanum venandi studium postponeret. Ad hæc tum temporis Rex nihil respondit, nec quis esset prodidit. At primo diluculo aduolantibus ad vile tuguriolum ministris, allata purpura simul cum diademate: *Age, inquit, ex quo vos indui heri primū vera de me ipso audiui, & non dissimulanter dissimulatores dixit: Veritatem heri demum intellexi, nec à quoquam vestrum, à quo tempore mihi adestis, libertorem vocem audiui.* Nam ferè hoc studio est ijs qui viuunt in aulis, vt nil dicant nisi blandum auribus Plut. Et certè non decet Principem generosum & circumspectum audita ex monitore veritate commoueri, neque pati vt assentionibus decipiatur, sed in sese descendere, vt cognoscat vtrum veridicentes ipsi prosint, an mendacia loquentes ipsum decipiunt. Nullus enim est euiditior veritatis aut mendacij testis, quàm propria conscientia. Philo: *Solius conscientia tribunal nullis verborum technis circumscribitur.* Malè ergo 3. Reg. 21. Achab odit Micheam vera vaticinantem, non passus (vt loquitur Persius Sat. 1.) *auriculas molles mordaci rodere vero.*

4. *Augustus Cesar mortuo Varo supra modum dolere se aiebat, quod iam non esset à quo verum audiret. Idem nullam pestem magis detestabatur, quàm aduatores. Si quis inter salutandum flexisset caput, aut assentaretur blandius, eum foras detrudi & exigi iubebat. Cùm, spectante eo ludos, pronuntiatum esset à mimo, O dominum equum & bonum! & vniuersi quasi de ipso dictum exul-*

*Augusta
confessio
Augusti.*

exultantes comprobassent, statim manu vultuque indecoras adulationes repressit, & insequenti die grauissimè corripuit edicto, Dominumque se posthac appellari ne à liberis quidem aut nepotibus suis vel seris vel per iocum passus est. Suet. c. 53.

5. *Tiberius Cæsar* adulationes adeo auersatus est, vt neminem senatorum aut officij aut negotij causa ad lecticam suam admiserit, consularum verò satisfaciendam sibi ac per genua orare conantem ita suffugerit, vt caderet supinus, atque etiam si quid in sermone, vel in continua oratione blandius de se diceretur, non dubitaret interpellare ac reprehendere. Dominus appellatus à quodam, denuntiavit ne se amplius contumeliæ causa nominaret. Alium dicentem, sacras eius occupationes, & alium auctore eo senatum se adijisse, pro auctore suasorem, pro sacris laboriosas dicere coegit. Suet. c. 27.

6. Cùm *Pescennio Nigro* Imp. creato quidam pænegyricum recitare vellet, dixisse fertur: *scribe* laudes Marij, vel Hannibalis, vel alicuius ducis optimi vita functi, & dic quid ille fecerit, vt eum imitemur. Nam viuentes laudare irrisio est, maximè Imperatores, à quibus speratur, qui timentur, qui possunt necare, quo proscribere &c. *Aelius Spartianus*.

7. *Constantinus Imp.* Spadonum & assentatorum in anis tantus erat hostis, vt eos tineas & forices palatij crebrò appellaret. *Alex. ab Al. lib. 2. cap. 19. Niceph. li. 8. Aurelius Victor* hoc tribuit *Licinio Imp.* Sic *Anaxilaus* eos opum vermes vocabat. *Eutrop. lib. 10.*

8. *Alexan-*

8. *Alexander Seuerus* Imp. blandius aliquid in salutatione dicentem aut abijci volebat, si loci qualitas pateretur, aut cachinno excipi. AEL. Lampr. idem dicebat, veritatem Regum auribus minimè esse peruiam in tanta adulatorum turba. Volat. li. 3. Antrop. Alex. ab Al. lib. 2. c. 19.

9. *Iouianus* Imp. de adulatoribus dicebat, deprehendi eos non Deum colere, sed purpuram, nec differre ab Euripo fluctus suos huc atque il- luc subinde rapienti.

10. *Ludouico XI. Francia Rege* aliquando dicente, in aula sua abundè omnia quibus opus esset reperiri, vnum tamen abesse: cum quidam familiarium rogaret, quidnam id esset, respōdit, *Veritas, quam pater meus animam agere dicebat, ego vero & quidem intestatam, mortuam esse puto.*

Tac. li. 1.
Pessimum
veri affe-
ctus vene-
num est
adulatio.
R. Curium
lib. 5.

11. *Sigismundus* Imp. quendam, qui eum similem dijs dixerat, alapa caedebat, dicenti que illi: *Cur me cadis Imperator? cur me,* inquit *Sigism. mordes adulator?* AEN. Syl. li. 2. de rebus gestis Alph.

12. *Philippo Regi Maced.* persuasit Demetrius eius consiliarius, (cum intelligeret eum aliena vsurpandi cupiditate teneri) vt Græciam & Italiam occuparet. Hoc enim cōsiliū sequutus, bellum mouit Atheniensibus: hi contra Philippum denunciunt sibi Romanos, qui, metuentes audaciam & potentiam Philippi, cum antea etiam eum odissent, cum ob foedus cum Hannibale & Carthaginensibus, tum quòd compererant eum meditari bellum inferre Italix, succurrunt Atheniensibus, & victo Philippo Maedoniam occupant. Tales vt plurimum euentus sequuntur adulatorum consilia, quæ principia quidem iucunda, at exitus amarissimos habent, vt ait Cic. 2. Rhet. Contra

Contra *Alphonfus Sicilia Rex* nihil magis in vira exhorruit quam mendaces, nihil magis auersatus est quam parasitos ac adultores, quos etiam pestem Principum appellare consuevit, & varijs interdum penis ac cruciatibus affecit. Idem adultores lupis haud absimiles esse dicebat. Nam ut lupi titillando, palpando, & scalpendo asinos vorant; ita adultores deuorant quos infatuant, & ad perniciem Principum blanditijs tendunt ac mendacijs. Idem ex Sicilia nauigans, cum vidisset garrulas aues triremum circumuolantes, attentasque si quis bolus è triremi decideret, certatim illum arripere, quæq; arripuisset celeriter illam auferre, conuersus ad suos dixisse fertur, *persimiles sunt his purpurati & Curiales aliquot mei. Simulac enim aliquod munus aut beneficium, hiantes ac dimicantes inuicem, à me acceperunt, profugiunt.*

Aulici plerique præstant se fidos dum prædam exoptant, voti compotes facti ad priuatos suam.

Ollares amici.

Notauit autem elegantissimè assentatores, qui præsto sunt dum quod accipiant habemus, quo ablato aufugiunt, nunquam nisi urgente necessitate redituri. *Panor. li. i. de rebus gest. Alph. ii. Aen. Syl. de eius gestis.*

13. *Regius propheta David ps. 100.* prolixè describit quos & quales in aula sua ferat. Nò erat stipatus magno agmine aionum, negonum, ganeonum, gnathonum, balathronum, *Facientes, ait, prauaricationes, odiui, &c.*

14. *Ludouicus VI. Francorum Rex* sæpe dissimulato habitu turbæ se admiscuit, ut liberas populi voces & iudicia de se exciperet, quò facilius & suis & Reip. mederetur incommodis. in *Armil. Franc.*

15. *Carolo VIII. Ludouici XI. Regis Gallorum* filio à pincerna suo familiariter sciscitanti, quid *caussa*



causæ esset cur tam pauci Reges cælum post hanc vitam peterent tandem, cum alter cunctaretur, excidit, id ideo fieri quod principes paucissimos circa se habeant veri honestique monitores. Io. Michael Anat. corp. Pol. c. 39.

16. *Antigonus Rex sacrificans dijs precabatur, ut se à simulacris seruarent amicis, interrogatus cur hoc à dijs optaret, quia, inquit, hostes cum cognosco mediocri diligentia caueo, at ab amicis fucatis & perfidis non possum mihi ipse cauere, sed Deo protectore opus est.* Max. Ser. de amic. Rectè, nam verissimum est illud Theogn.

ἔχθρον μὲν χαλεπὸν καὶ δυσμενὲς ἔξαπατῆσαι,
κόπον φιλοῦ δὲ φίλων ῥάδον ἔξαπατᾶν.

Fallere difficile est inimicum, at amicus amicum fallere non magno, Cyrne, labore potest.

Et illud Cic. 1. in Verr. Nullæ sunt occultiores infidiæ, quàm eæ, quæ latent in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eû, qui palam est aduersarius, facile cauendo vitare possis, hoc verò occultum, intestinum, ac domesticum malum non modò non existit, verùm etiã opprimit antequam perspicere atque explorare poteris.

Sunt *adulatores blandi*, ut ait S. Hieron. lib. 1. adu. Pelag. *inimici*, sunt pestis Reip. morum perniciës, patriæ turbo atque procella, qui leges, pacis ornamenta, religionis præsidia, omniaque pietatis studia peruertunt. Operam enim dant, ut Magistratum corpora assiduis morbis obnoxia, & Reip. necessarijs rebus obeundis inutilia reddant, dum ea tradunt mulieribus effœminata, & brietatibus frangenda, animum autem libidini-

bus,

bus, superbia, auaritia, crudelitate corrumpunt, utque umbratilis, imbecillus, valetudinarius, insanus habeatur Magistratus efficiunt. Illorum opera fit, ut Principis gaza non sit virtutis, sed libidinis instrumentum, & opes, quæ erant bonis viris communicandæ, ad homines impuros deferantur, ut decus pudoris intereat, turpitudine viri exultet, innocentia miserè vexetur. De omnibus pessimè, de se magnificè loquitur, immani auaritia sunt, flagitijs quibus magistratus deditos vellent virtutum nomina imponunt, & à negotijs ad otium, libidinem, luxum eos traducunt. Ne quis probus ad Regem accedat, ne auctoritatem habeat, mendacijs & calumnijs efficiunt, inter se autem foedus faciunt & societatem sceleris ineunt. *Tu me, dicunt, laudabis apud Regem, ego vicissim industriam & sapientiam tuam verbis extollam. Tu dicito me dignum hoc honore &c.* Impedimento Regi sunt, ne honorum præsidio sepiatur, & fidelibus amicis & consilio salutari muniatur, sic eum circumuallant, ut bonorum auxilio denudetur. Dant enim operam mutua, ne quis alius in Regis familiaritatem veniat, qui opes, qui honores interceptat. Sic adulatoris incitabant Saulem contra Dauid fidelis ministrum (1. Reg. 26.) & adulator Idumæus trucidabat innocentes sacerdotes (1. Reg. 22.) quos alij Saulis ministri ne attingere quidè volebat Rectè igitur Sattellius ille Quadratus apud Sen ep. 27. ait, *adulatores dominorum suorum sunt arrosores, arrosores, & quod his duobus coniunctum est, derisores.* & S. Hiero. To. 1. ep. 4. Ne credas laudatoribus tuis, imò irrisoribus aure ne libèter accomodes, qui cū te adulationib⁹ fouerint, & quodāmodo impetū metis offecerint, si subito

si subito respexeris, aut ciconiarum post te deprehendes colla curuari, aut manu auriculae agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam.

Sed rectè dicit Esaias c. 5. v. 20. *Vt qui dicitis malum bonum.* &c. Lutetia enim ostenditur in Forum frumentario os cloacæ, in qua sepeliri se iussit quidam, quem serò poenituit mali consilij & prauæ adulationis. Hic viderat Regem tristem & sollicitum propter angustiam rei pecuniariæ. Is quoque Regem subleuaret, suadet, vt ex minimis etiam rebus, quas rustici deferunt in urbem, vnum aut alterum nummulum exigeret, idque in biennium duntaxat. Ex eo, cum viderent in vrbe frequentissima colligi pecuniæ vim non modicam (iuxta sententiam Hesiodi, ex multis minutis (granis) conflatur ingens aceruus) non remissum est, quod semel coeptum est dari, imò ad hoc exemplum plures exactiones excogitatae sunt. Qui dederat consilium, cum videret se non idem autoritatem habere in dissuadendo quod habuerat in suadendo, in maximos animi mœores incidit, adeo vt de salute quoque sua desperaret. Et vt de seipso poenas sumeret inconsulti consilij, simulque moneret alios, ne ad eundem impingerent lapidem, testamento canit, vt in ea cloaca, in quam totius illius fori sordes confluunt, sepeliretur, in quo manet etiamnum in hunc vsque diem exactionis executio. Videte adultores, ne iidem conscientia aculei vos aliquando lancinent: Videant & Magistratus poenas eorum, qui adulatoribus patefecerunt aures, in Theatro meo historico, & legant P. Ribadineira Principem Christianum, Joann. Mariana li. 2. de Rege & Regis inst. cap. 11. Osorij lib. 2.

libr. 2. de institut. Regis, & Fran. Patr. libr. 4. de Regno. Placet hæc concludere his S. Hierony- Tom. 9.
mi verbis: Beata mens est, quæ perfectè adulatio- epist. 1.
nem vincit, & nec adulatur aliquando, nec adu-
lanti credit; quæ nec decipit alterum, nec ipsa
decipitur; tantumq; hoc malum nec facit aliquã-
do, nec patitur.

SIGNVM III.

ADVLTERII SCELVS GRAVISSI- *Adulteros*
mis pœnis mactare. *punire.*

1. **A**lexander Magnus cum foemina eximia
specie nocte iam concubia venisset cum
eo dormitura, rogauit, cur tam serò ve-
nisset, illa cum respondisset, se expectasse donec
maritus cubitum isset, Rex quasi telo ictus, &
calore omni remisso (facem amouit) mulierem
omisit, & ministros accitos grauitè obiurgauit
quòd aditum dedissent, *reducite*, inquit, *hanc*,
nec adulterijs ansam mihi prabeatis. Cum Philo-
xenus maritimæ rei præfectus ad eum scripsisset:
Esse apud se Theodorum mangonem, eumque
vnales habere duos pueros forma eximia, &c.
Ijs lectis valdè indignatus, & identidem excla-
mans amicos interrogabat: quid Philoxenus in
se tam foedum vidisset, vt tantam maculam sibi
inureret? imò in epistola ad ipsum multis eum
probris scidit, iussitque Theodorum illum cum
mercibus suis in malam rem ablegare.

2. *Dionysius Senior*, cum intellexisset filium, cui
principatum relicurus erat, ingenui viri coniu-
gem adulterasse, iratus interrogauit, an vnquam
tale quidquam in patre comperisset: Hic adolef-
cens:

B